

et ecclesie sue per Romanum imperium ubilibet constitutis, in quibus hec hactenus habita sunt et servata, et ut idem princeps noster dilectus huiusmodi exercitium iudicii et iusticie et gladii potestatem, ut premittitur, quam vulgaris elocutio den pan nominare consuevit, iudicibus suis secularibus omnium civitatum, municionum et opidorum suorum predictorum conferre ac committere debeat et valeat, prout et quociens fuerit oportunum, sicuti hec omnia et singula a nobis et sacro Romano imperio tenet ac de iure descendunt, in feudum¹ damus, conferimus et donamus ipsumque investivimus et eciam investimus auctoritate regia tenore presencium de eisdem. Consideratis insuper suis multiplicibus probitatis et serviciorum meritis, quibus nostrum et sacri imperii prosecutus est honorem hactenus ipsumque prosecuturum firmiter et indubie speramus fervencius in futurum, sibi, successoribus suis ac Eystetensi ecclesie supradicte universa et singula privilegia et litteras, que et quas super iuribus, libertatibus, graciis, consuetudinibus, donacionibus, concessionibus et indultis, usibus, observanciis et emunitatibus necnon singulis feudis, prediis, castris, opidis, villis, municionibus, iurisdictionibus altis et bassis, pignorum seu ypothecarum obligacionibus, iudiciis, theloneis et quibuscunque dominiis et pertinenciis suis et ecclesie predictae a nobis et clare memorie divis Romanorum imperatoribus et regibus, predecessoribus nostris, obtinuisse noscuntur, in omnibus suis tenoribus, sentenciis, punctis et clausulis de verbo ad verbum, prout scripta vel scripte sunt, ac si tenores singuli presentibus inserti consisterent, eciam si de hiis in presentibus iure vel consuetudine fieri deberet mencio specialis, approbamus, ratificamus et de solita benignitate regia confirmamus ex certa nostra consciencia ac eciam presentibus innovamus. Inhibentes universis et singulis principibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, civibus et universitatibus terrarum, districtuum, civitatum et locorum sacri imperii, qui pro tempore fuerint, cuiuscunque eciam dignitatis aut status existant, fidelibus nostris, ne dictum episcopum, successores suos et ipsam Eystetensem ecclesiam imperpetuum adversus presentis nostre approbacionis, ratificacionis et confirmacionis indultum impediant aut sinant quomodolibet impediri. In cuius nostre concessionis evidens

1) 'et specialiter — in feudum' fehlt in der sonst wörtlich übereinstimmenden Belehnungsurkunde Karls IV. für Eichstätt, von 1354 Juni 24 Regensburg, Kopialbuch fol. CXXVIII, gedr. Falckenstein p. 198, irrtümlich zum Jahre 1365.